Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26118
Copyright: Admont, Benediktinerstift

septentrionem versus usque ad arimathiam terra petrosa et aspera per inter-
valla monstratur. valles quoque spinose usque ad tanniticam regionem
patentes. Ad cesaream vero palestine ab helia quamvis aliqua repperiantur
angusta et brevia atque aspera loca. precipue tamen planities camporum
est interpositis olivetis. Distant autem .lxxv. milibus passuum.
Longitudo vero terre repromissionis a dan usque bersabee tenditur.
spacio centum .lxx. milium. ab ioppe usque bethlehem. quadragin-
ta .v. milibus. Iuxta murum templi ierusalem. ab oriente gehen-
non occurrit. que est vallis iosaphath a septentrionali plaga in au-
strum porrecta. per quam torrens cedron si quando pluviarum aquam.
recipit decurrit. Hec vallis et parva campi planiciem irriguam
et nemorosam plenamque deliciis. locum in se quondam baal .. um
sacratum habuit. In hac turris est regis iosaphath. sepul ... chrum
eius continens. Cui ad dexteram de rupe montis oliveti excisa et
separata domus. duo cavata habet sepulchra. hoc est symeonis senis
et Ioseph sancte MARIE sponsi. In eadem valle sancte MARIE rotunda
est ecclesia lapideo tabulato discreta. cuius in superioribus .IIII. altaria.
in inferioribus unum habetur. In orientali plaga et ad eius dexteram mo
numentum cernitur vacuum in quo sancta MARIA aliquamdiu pausasse dicitur. sed
a quo vel quando sit ablata nescitur. Hanc intrantes videant ad dexteram
insertam parieti petram. in qua dominus nocte qua tradebatur oravit vestigiis
genuum quasi molli cera impressis. De monte oliveti et locis sanctis.

MONS Olivarum mille ab ierusalem discretus passibus. in eo. .VI.
altitudine monti syon par est. sed latitudine et longitu
dine prestat. Exceptis vitibus et olivetis. rare est ferax arboris. fru
menti quoque et hordei fertilis. Neque enim brucosa sed herbosa et florida
soli illius est qualitas. In cuius summo vertice ubi dominus ad celos ascendit. ecclesia
rotunda et grandis. ternas per circuitum cameratas habet porticus desuper